„Nibil est (inquiunt Patres hujus Concili) quod alios magis ad pietatem et DEI cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui se Divino ministerio dedicarunt; cum enim a rebus saeculi, in altiorem sublati locum conspiciantur; in eos, tanquam in speculum, reliqui oculos conijciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. — Quapropter sic decet omnino Clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone auisque omnibus rebus, nil, nisi grave, modestum, ac religione plenum praese ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones, cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo majore in Ecclesia DEI et utilitate, et ornamento haec sunt, ita etiam diligentius sint observanda, statuit Sancta Synodus, ut que alias a Summis Pontificibus, et a Sacris Conciliis, de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus nec non saecularibus negotiis fugiendis, copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur; nec appellatio executionem hanc, quae ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quam primum in usum revocari, et ab omnibus accurate custodiri, studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectae emendationis, ipsi, condignas, DEO vindice poenas persolvant.“ —

Pastoralis sollicitudo, qua Praedecessores Nostri ducti insistentes huic Sanctae Synodi Tridentinae Decreto, quaedam observanda tulerunt statuta „de vita et honestate Clericorum“ - eadem etiam Nostrum impulit animum, ut providas Ordinationes, in eum finem, a Praecedessoribus Nostris, sancitas, quae temporum decursu ad propositum utilitatis fructum inefficaces evasisse deprehenduntur, attemperemus praesenti rerum necessitati ac conditioni, novisque superadditis sanctionibus, roboremus, ut remotis obstaculis, opportunum, suo tempore, decori ac dignitati Status Clericalis conferamus subsidium ac levamen. — Nolumus quidem aliquid novum introducere; sed, quod, ab antiquo, statutum est, ad pristinos reducere cardines. — Et haec Nostra cura, Nostra sollicitudo est. Quapropter, proponendo Vobis, Fratres Dilectissimi, Statuta Sanctae Synodi Tridentinae, hisque innixas Ordinationes Praedecessorum Nostrorum, easdem Ordinationes renovamus, ac approbamus, et ab omnibus Sacerdotibus Saecularibus Nostrae Dioecesis Padlachiensis, cujuscumque hi sunt gradus et dignitatis, observari mandamus atque praecipimus. Et quidem:

1. Omnes Sacerdotes deferant semper vestem Clericalem.

„Quia vero, sunt Verba Concilii Tridentini, etsi habitus non facit Monachum, opertet tamen Clericos, vestes proprio congruentes Ordini, semper deferre; ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam, ostendant. Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem Clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus. Propterea, omnes Ecclesiasticae personae, quantumcumque exemptae, quae aut in Sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia aut beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint, si, postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum Clericalem, illorum Ordini et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum, non detulerint; per suspensionem ab ordinicus ac officio et beneficio, ac fructibus, redditibus et proventibus ipsorum beneficiorum; nec non, si semel correpti, denuo in hoc deliquerint; etiam per privationem officiorum et beneficiorum, hujusmodi, coerceri possint et debeant: secundum Constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam, quae incipit: „Quoniam innovando et ampliando“ — ([5])

Et quamvis Sacrum Concilium hoc suo decreto jusserit solum personas Ecclesiasticas deferre habitum *eorum ordini et dignitati congruentem - et - juxta Episcopi ordinationem et mandatum;* nihilominus tamen Sacra Congregatio Concilii rata semper habere consuevit Episcoporum decreta de usu vestis talaris; et praesertim in Hortana 8. Julii 1690 anno, ubi, ait: „Sacerdotes teneri semper incedere in habitu talari.“ — Vestem Clericorum statui convenientem, esse talarem, extra omne dubium positum est. Hinc fere omnia celebrata concilia post Tridentinum, coegerunt Clericos ad gestandam vestem talarem, nigri coloris. — Ita in Concilio Provinciali Mediolanensi I. parte 2. S. Carolus Borromaeus de Clericorum vestitu loquens ait: ([6]) In omni vestitu, color tantum niger adhibeatur . . . . . externa vestis simplex et talaris erit.“ In Concilio Mediolanensi anni 1570 titulo de vita et honestate Clericorum cap. 3. ([7]) jubentur Clerici majorum Ordinum cum in publicum prodeunt gestare *vestem talarem.* — Concilium Remense an. 1583. titulo: de Clericis, in genere, n. 8. ([8]) „veste Ecclesiastica, eaque talari ac decenti, utantur omnes Clerici“ — Concilium Burdigalense ejusdem anni, titulo I. secl. 21. ([9]) c. 2. loquitur: „Vestes eorum sint talares.“ Quoque notabilius est, Concilium Provinciale Narbonense Anni 1609. c. 41. ([10]) Clericos etiam noctu incedentes ad deferendam vestem talarem coegit. „Noctu incedentes, ex rationabili causa, togas talares deferant.“ Hinc est, quod et Ordinationibus Dioecesanis Nostrae Dioecesis Podlachiensis et praesertim: Ordinatione die 18. Februarii 1833 anni ex singulari mandato Excellentissimi Praedecessoris Nostri Joannis Marcelli Gutkowski, ad praesens, Arcki Episcopi Marcianopolitani, per Consistorium Generale Podlachiense, edita, paragrapho 7. usus vestis talaris, praecipitur, his verbis „Revocantur Universo Saeculari Clero in memoriam saluberimae et simul severissimae SS. Canonum sanctiones, ut quivis Sacerdos, ubique locorum vestem talarem, collare, et praescriptam statui suo, semper gestet tonsuram.“ —

Ast zelozissimus hic Praesul, ac diligentissimus Sacrorum Canonum Custos, disciplinaeque Ecclesiasticae acerrimus propagator, postquam comperisset, hanc suam Ordinationem, decursu temporis, a sub dito sibi Clero Dioecesano minime observari, imo etiam inveniri Sacerdotes non paucos, qui parvi pendentes saluberrima Sanctae Ecclesiae praescripta, ab usu vestium laicalium minime abstinerent; huic malo, quantum in Domino potuit, occurrere cupiens die 25. Februarii 1839 anni aliam edidit Ordinationem, qua usum vestium laicalum, omnibus in majoribus Ordinibus constitutis, in Sua Dioecesi, absolute et sub poena suspensionis, ipso facto incurrenda, prohibuit, ac interdixit: —

Operae praetium arbitramur hujus Ordinationis verba in medium proferre: —

„Non sine magno animi Nostri dolore percepimus, quod inter caeteros Clericorum excessus, tanta hodie aliquorum inolevit temeritas, ut spreta in vestibus forma. Ecclesiasticae dignitatis, ac Clericalis honestatis, vestes deferant publice laicales, ac ipsis cupiunt conformari, quodque mente gerunt, habitu profitentur.

Illum detestabilem abusum, jam pridem in Dioecesi Nostra abolere curavimus, hacque de causa in Ordinatione, de Singulari mandato Nostro, per Consistorium Generale sub die 18. Februarii 1833. edita ac promulgata, in puncto 7., illa, quae circa vestes, tonsuramtum circa vitam et honestatem Clericorum, jura et Constitutiones, praecipue vero saluberrimae et severissimae Sacrorum Canonum Concilii Tridentini Sanctiones, statuunt, praecepimus diligenter observari. — Sed cum Ordinatio haec, parvum, imo nullum obtinuerat effectum; multi enim sacerdotum, vestes scissas retro, et vix genua velantes, deferunt, ac cum talibus etiam intra Ecclesias ipsas, non vereantur divinis officiis interesse, ita, ut, eodem pede, quo limina profana calcabani, eodem et aram sacram tangunt. Plurimi laicalibus vestibus induti, nulloque Signo Clericali insigniti, imo coma nutrita, et eleganter disposita, ac, facie pilosa, tum strophiis ornatiloca publica ac forensia visitant, quod oculis Nostris, tempore Visitationis Ecclesiarum per Dioecesim conspeximus. — Sed quod maxime dolendum, est illud: multos etiam tales inveniri Sacerdotes, qui conformando se huic saeculo, ideo hac veste laicali utuntur, ut, occultando statum suum, domos suspectas intrare, ibique non solum scandalosas loquelas, scurriles lepores, imo lascivia ipsa facilius perpetrare possint, prout ex pluribus relationibus ac quaerelis, quae temporibus nostris, contra inhonestos Clericorum mores, ac sole lucente, peracta scandala, evenerant, ipsa experientia, rerum magistra, edocti sumus. —

Quo circa hunc detestabilem abusum, penitus abolere cupientes statuimus ac ordinamus sequentia: —

„1. Omnes Sacerdotes, tam de Clero minori Saeculari, quam etiam in qualicumque Dignitate Ecclesiastica positi, vestem nigram talarem, omni tempore ac loco, deferre tenentur: sicuti enim omni tempore portant indelebilem characterem Sacerdotii, ac dignitatem vocationis Suae, quibus sunt decorati, ita semper vestem congruentem Ordinis sui, gerere obligantur, ut per decentiam habitus externi, prouti ajunt Patres Concilii Tridentini, intrinsecam morum honestatem ostendant. Sacerdos enim in sortem Domini vocatus, nihil tale agere ac gerere debet, quibus se illo conformet. Vestis ergo laicalis, uti aliena ac inconformis, deformat Ordinem Sacerdotalem. — Hinc statuimus ac declaramus: *omnem Sacerdotem, qui despecta veste Clericali, habitu laicali uti ausus fuerit, ipso facto*

[5]) Trid. sess. XIV. de Reform. c. IV.
[6]) Parte I. Act. Ecc. Mediol. pag. 18.

[7]) Tomo X. Collect. Harduini coll. 1195.
[8]) Ibia coll. 1292.
[9]) Tomo X. Collect. Harduini coll. 1359.
[10]) Ibidem tom. XI. col. 44.

poenam suspensionis incurrere, a qua nonnisi per Decanum Loci absolvendus erit praevia districta poenitentia." —

Utramque hanc Ordinationem, tanto Praesule dignam, in tota sua extensione, renovamus, confirmamus, ac ab omni Clero observari praecipimus — hoc solummodo superaddendo, quot, licet apud multos Sacerdotes inoleveritmos utendi veste, quae trito nomine Kapota venit, et a Sacris Canonibus, quia talaris est, et nigri coloris, videatur admitti; cum tamen minus decens, ac Statuti Sacerdotali minus conveniens deprehendatur: eapropter usum ejusmodi vestis Kapotae omnibus interdicimus ac prohibemus. —

Tres itaque solummodo species vestis Clericalis admittimus: nimirum: —

Vestem tunicam clausam, quae dicitur Sutanna, — vestem, quae vulgato nomine Paledran venit; etvestem, qua utuntur Sacerdotes in aliqua dignitate constituti, quae appellatur Czamara.

Etsi generaliter hic omnes vestes laicales usui Sacerdotum prohibeantur — attamen est quaedam species vestis, nobis cum laicis communis, cujus usum minime improbamus, sive eniam commodum ac utilitatem illius, sive etiam ipsam necessitatem nostram spectemus: non possumus non agnoscere, salvum et liberum omnibus usum istius vestis esse relinquendum — et haec vestis est: pallium. —

Prohibentes usum vestium laicalium, et commendantes ac praecipientes vestium Clericalium usum; injungimus etiam, ac in virtute Sanctae obedientiae mandamus, ut omnes itidem, collare (obojczyk), semper deferant; nisi fors aliquando, ex rationabili causa, utpote, morbo colli, aut gutturis laborantes, praeventi ac impediti, ad tempus, ab illo gestando cessare adignatur; sed quam primum convaluerint, iterum ad gestandum idem collare redeant. —

2. *Tonsuram servent, comam non nutriant — coronam deferant — facie pilosa non incedant.* —

Antiquissimis jam temporibus servandae a Clericis tonsurae extitisse praeceptum, nemo inficias ibit, quicumque consideraverit illa verba, Pontificali, quod Damaso Papae dedicatum est, inserta esse, quae in Canonibus Apostolorum leguntur: „Clericus comam non nutriat, secundum praeceptum Apostolorum." — Omnes qui sacrae militiae nomen dabant, per comae abscissionem adscribebantur, ita ut idem esset, Clericum fieri, ac detonderi uti observat Mabillonius [11]); quique, semel detonsi; nunquam deinceps comam alere sed semper attonso capite incedere tenebantur; quod constat ex Synodo circa annum 450 sub S. Patritio in Hibernia celebrata can. 6,[12]) ex cap. 66. Martini Bracarensis [13]) atque ex Concilio Toletano IV. anni 633. can. 41. [14]) — Qui vero Clericorum comam laxare praesumeret; etiam invitus et reluctans per Archidiaconum jussus sit detonderi a Concilio Agathensi anni 506. [15]) et ab Alexandro III. in cap. 7 de vita et honestate Clericorum: „Clerici, qui comam nutriunt, et barbam, etiam inviti, a suis Archidiaconis tondeantur."

Omnes Synodi, tam Provinciales quam Dioecesanae, a Tridentino ad nostrum usque saeculum coactae, inhibuerunt Clericis capillos intortos, cincinnatos seu calamistratos, gestare. — Sic Synodus Provincialis Mediolanensis [16]) ait: „Ita sint abraso capillo, ut tonsura conspicua sit omnibus. Comam vero et barbam ne studiose nutriant; capillis simplicem cultum adhibeant." Synodus Provincialis Bituricensis anni 1584. [17]) „Clerici crines calamistratos ac retortos non habeant." — Dioecesana Synodus Ravennatensis anni 1607. [18]) „Capillos ne gerant calamistratos, nec supra frontem eminentiores." Synodus Lucensis anni 1625. [19]) „Comas calamistratas, more feminarum ne gestent." Synodus Amalphitana anni 1639. [20]) „Concinnos et comam ne nutriant." —

Synodus Parisiensis anni 1514. tonsuram Clericorum apellat „Decus regale . . . . Ecclesiasticum diadema." — Similiter loquitur S. Gregorius Nazianzenus, dicens: „Imperium gerimus, multo perfectius, regno terreno." Et Patres Concilii Londinensis anni 1214. celebrati idem profitentur; dicentes: „In corona regalis Sacerdotii dignitas designatur." — „Corona Clericorum est signum regiae dignitatis, debet esse rotunda, et quo major est Clerici dignitas, eo major esse debet Corona." — Ita docet Concilium Ravennatense III. post Clement: — V. cap. 10. „Coronam in modum sferae in capite raso Clerici portare debent." — Ita praecipit Anicetus Papa [21]) et Concilium Toletanum IV. [22])

Tot adductis Sanctarum Synodorum atque Canonum praescriptis, pro coronide hic ponimus paragraphum tertiam Ordinationis superius laudatae Excellentissimi Praedecessoris Nostri, cujus verba sunt:

„Cum Concilium Tridentinum personis Ecclesiasticis non solum vestem talarem deferre, verum etiam praescriptam statui suo tonsuram gerere praecipit, idcirco demandamus, praesentibus, ut omnis Sacerdos tonsuram congruam singularem deferat; ii vero qui capillis intortis, facieque pilosa (vulgo faworyty) hucusque utebantur, illos ex nunc tondeant ac radant: indecore est enim Sacerdoti, comam suam nutrire, ac more mundano, caput suum decorare; superfluitas enim in Sacerdote, tum immodestia et indecentia Ejus, intrinsecam ipsius inhonestatem morum, ostendunt."

Hanc item partem Ordinationis Dioecesanae simili modo, ac partem superius adductam, in tota sua extensione, renovamus et confirmamus, atque ab omni Clero Nostrae Dioecesis observari et adimpleri mandamus ac praecipimus. —

3. *In praescriptis a SS. Canonibus casibus, birretis utantur.* —

Est autem birretum, pileus quadratus, speciale tegumentum Clericorum, quo, olim, universim capita eorum cooperiebantur. — Birretum Clericis olim fuisse proprium, tradit Ducang (in Glossa ad scriptores mediae et infimae latinitatis verbo Birrêtum) — Pluribus enim in Conciliis, imperatus est Clericis usus Birretorum, tanquam ordini ipsorum apprime conveniens, quo a laicis distinguerentur. In Concilio Salisburgensi anni 1386. cap. 6. interdicitur Clericis: „ne sine birreto praesumant in Ecclesia, seu in publico incedere, quum hoc honestatem non deceat Clericorum." — In Concilio Turonensi an. 1583. c. 14. jubentur Clerici „uti birretis, non vero galeris, praesertim in Ecclesia." — In Concilio Bituricensi anni 1584. tit. 12. cap. 10. de Canonicis edicunt Patres: „Horas Canonicas dicturi, cum tunica talari, superpelliceis mundis, almutiis, pileis quadratis, utantur." In Concilio Tolosano, anni 1590. forma praescribitur birretorum, simulque edicitur: „ut nusquam, aut in Ecclesia, aut per Urbem, absque quadrato birreto Clerici conspiciantur." In Concilio Mediolanensi I. [23]) sic statuitur: „In Choro, etiam in Matutino officio, Clerici birreto, non pileo utantur, alioquin moneantur a Praesidente Chori, vel ab eo, qui proximo loco sedet; et nisi paruerint, pro absentibus habeantur."

Juxta hodiernam Ecclesiae consuetudinem ac disciplinam usus birreti reducitur ad casus sequentes: — Omnes Clerici, tam minorum quam majorum Ordinum, uti debent birretis in Choro, Officium Divinum, nimirum: Matutinum, Horas Canonicas, Vesperas vel Completorium, decantantes;

In processionibus, quae fiunt sive intra sive extra Ecclesiam, exceptis Canonicis, qui secundum decisionem Sacrae Rituum Congregationis 30. Martii 1633. an. in processione, intra Ecclesiam, debent incedere capite detecto, et extra eam, cum birreto in capite; —

In exportatione corporum mortuorum, quae in coemeteriis tumulanda sunt; —

In egressu e Sacristia, quando Presbyteri procedunt ad Altare, Sacrificium Missae celebraturi et absoluto eodem Sacrificio, in regressu ab Altari ad Sacristiam. —

Porro notandum hic est, quod, quoties expositum fuerit Sanctissimum Sacramentum, tam in decantando officio Divino, in Choro, quam in Processionibus, omnes Clerici cujuscumque gradus et dignitatis, detecto capite adesse debeant.

Insuper omnibus Parochis et eorum Vicariis vetamus, ne tempore exportationis corporum defunctorum utantur quibuscumque civilibus pileis vel galeris; praecipientes solummodo usum birreti, ea cum mentione; quod si contigerit tumulari corpus alicujus defuncti, hiemis tempore: possint Parochi vel eorum Vicarii uti pileo Clericali (vulgo Piuska) super quo tamen capiti imponant birretum.

4. *Ab illicitis ludis chartarum, praesertim a Landsknecht, Stoss et Pharao penitus abstineant.*

Primis adhuc Ecclesiae saeculis vetitum fuisse Clericis alearum lusum, sub anathematis poena, constat ex can. 42. et 43. inter vulgares Apostolicos. Et Concilium Eliberitanum can. 79. [24]) quotquot aleis luderent, a communione separandos decrevit. — Hunc alearum lusum, ipsi Ethnici damnarunt Scriptores, uti Cornelius Tacitus, in lib. de moribus Germanorum cap. 24. et Ammianus Marcellinus, [25]) quia nimirum, per illum homines ad fraudes, fallacia mendacia, perjuria, furta, aliaque enormia scelera inclinantur. „Alea, siquidem, (ajebat Petrus Blaesensis epist. 74.) perjurii, furti sacrilegii mater est." — Qua etiam de causa, vetustae leges Romanorum, aleatores Exilio, aliisque mulctarunt severis poenis. —

Posteriores Ecclesiae constitutiones aeque Clericos ab alearum, taxillorum, aliisque ludis cohibuere. Sic Synodus Romana sub

[11]) In praefatione ad saec. III. Act. Benedict. parte I. n. 18—19.
[12]) Coll. Harduin. Tomo I. col. 1791.
[13]) Ibidem tom III. col. 398.
[14]) Ibidem tom III. col. 588.
[15]) Can. 2. relato dist. 23. c. 22.
[16]) Parte 2a Act. Eccl. Mediol. part. I. pag. 18.
[17]) Tit. 25. c. 3.
[18]) Titulo de vita et honest. Cler. c. I.
[19]) De vita et honest. Cler. c. 2a.
[20]) Eodem titulo c. 2.
[21]) Eppla. decretali. Dist. 23. c. *Prohibente.*
[22]) Cap. 41. —

[23]) Parte II. titulo: Quomodo versandum in Choro.
[24]) Tomo I. Collectionis Harduini coll. 258.
[25]) Lib. 14. c. 19. et lib. 28. c. 22.

Eugenio II. c. 11.[26]) adeo indecorum putavit, Sacerdotem ludis operam dare, ut, ne ludentes quidem, spectare fas illi esse, statuerit „Sacerdos sedulo Divina debet perscrutari, et admonere eloquia.... quamobrem, ludos aliquos coram se fieri non delectetur. Transgressor quippe inventus, admonitione Episcopi, ulteris agere desinat: sin autem, canonice judicetur.“ Eugenii autem prohibitionem instauravit Innocentius III. in Concilio Generali Lateranensi[27]) Clericis praecipiens: „Ad aleas, et taxillos ne ludant nec hujusmodi ludis intersint.“ Quotquot autem post Innocentium celebratae sunt Synodi, huic decretali inhaerentes, ab iisdem ludis Clericos longissime abesse jusserunt. Ita quique sanxere Concilium Bitterense anni 1255.[28]) Salisburgense a. 1420. cap. 4. Toletanum anni 1473. can. 11. pluraque alia. —

Quamvis porro sacri Canones alearum dumtaxat et taxillorum ludi plerumque meminerint; omnem tamen lusum prohibere voluisse, a fortuna potius, quam ab industria, et arte, pendentem; opportune animadvertunt Valesius[29]) et S. Antoninus in sua summa.[30]) — Quin imo Fuldenus[31]) magis adhuc generatim accipiendam voluit similem legum civilium prohibitionem, quam, ad omnem lusum, lucri causa exercitum, extendit. Quare Concilium Tridentinum[32]) non ab hoc, aut ab illo, sed universim *ab illicitis* ludis Clericis abstinendum edixit; Episcoporum scilicet judicio relinquens, determinare, pro diversis personarum, locorum et temporum conditionibus, quinam ludi essent illiciti reputandi. Idcirco Tridentino statim obsequens S. Carolus Borromaeus, in suo Concilio Provinciali Mediolanensi I. parte 2.[33]) accuratum habuit delectum ludorum, quibus fas, quibus vero nefas esset Clericis sese oblectare; eosque potissimum abstinere voluit a ludo: „aleae et tesserarum ac talorum, atque a Globis, qui malleis ligneis impelluntur; item follis id est pilae majoris.“ — Alia vero alibi celebrata Concilia, unanimi pariter consensione, lusum alearum seu pictarum pagellarum, et taxillorum, Clericis indecentem, atque illicitum declararunt; alios vero ludos, plerumque speciatim non nominarunt; sed generatim, omnem ludum Clericis vetitum esse dixere, qui eorum statui indecorus videretur. — Ita Concilium Burdigalense anni 1583.[34]) „Ab alea, tesseris, chartis et quovis alio vetito, et indecore ludo, cum privatim, tum publice, penitus abstineant.“ Concilium Aquense anni 1585.[35]) „Ne pagellis pictis, aut alea, aliove hujusmodi ludi genere ludant, aut ludentes spectent.“ Narbonense anni 1607.[36]) „Non ludant aleis, tesseris, chartis, aut alio ludo prohibito, vel indecoro; praesertim publice.“

Sapientissimam hanc Sanctae Ecclesiae oeconomiam, qua Clericos suos voluit abstineri a ludis, qui a fortuna pendent, prae oculis habens, piae memoriae Reverendissimus Bartholomaeus Rudziszewski, Administrator Dioecesis Podlachiensis Ordinatione sua die 24. Junii 1847. anni prohibuit omni Clero Dioecesano eas species ludi chartarum, quae non ab industria, sed a sorte potissimum pendent; cujus Ordinationis verba hic ponimus: —

„Quapropter Nos potestate Nostra Ordinaria conformiter constitutionibus Pontificiis, canonibus Conciliorum, nec non doctrinae Sanctorum Patrum, omnibus et singulis Nostrae Dioeceseos Clericis tam saecularibus quam Regularibus, etiam in aliqua dignitate, personatu et officio constitutis, ludos chartarum seu tabularum pictarum, qui a sorte pendent, et ubi peritia vel nullam vel exiguam partam habet, in specie vero ludum sic dictum Faraon, Stoss, Landsknecht, qui prae caeteris Ecclesiasticos dedecet, utpote qui sacris Canonibus adversantur, qui est scandalo populo Christiano, denique in quo proventus Beneficiorum, qui sunt patrimonia pauperum, misere dissipant, sub poena suspensionis, imo etiam sub aliis id genus poenis pro gravitate transgressionis, Nostra voluntate imponendis, prohibemus atque interdicimus, prout et praetentibus prohibemus interdicimusque.“ —

Hanc ordinationem uti addictis superius legibus Sanctae Ecclesiae conformem ac consentaneam — et Nos etiam auctoritate Nostra Ordinaria innovamus approbamus, ac ab omnibus Sacerdotibus cujuscumque dignitatis sub iisdem poenis, observari, strictissime mandamus ac praecipimus. —

5. *A fumando tabacco et Cigariis vel penitus abstineant, vel saltem iis moderate utantur.*

Licit temporibus nostris, nullum extet praeceptum, quo Clericis interdicatur usus fumandi per tubulos folia tabacci in frusta concisa, aut usus Cigarrorum; cum tamen usus hic redoleat quemdam luxum ac superfluitatem, quae non decet Clericos; nam ab omni luxu Eis abstinendum edixit Concilium Tridentinum sess. XXII. c. 1. relinquens judicio Episcoporum determinare, pro diversis locorum et temporum conditionibus, quomodo luxus cujuscumque generis limitandus atque moderandus sit: Nos proinde, insistendo huic decreto Concilii Tridentini, statuimus ac praecipimus, ut omnes Clerici Nostrae Dioecesis Podlachiensis cujuscumque gradus et dignitatis in quantum id fieri potest, a fumando tabacco et Cigarris vel penitus abstineant, vel saltem modice et certo cum moderamine utantur, decernentes: vetitum in posterum fore omnibus fumare 1. ante celebrationem Sacrosancti Sacrificii Missae ob reverentiam debitam tanto Mysterio: 2. quando excepturi sunt Confessiones fidelium, ne inamoenus odor fumi ex tabacco, qui diu haeret faucibus fumantis, fiat nocivus iis personis quae illum ferre nequeunt, de quo non raro laici et praesertim mulieres gravidae conqueruntur. —

6. *Mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere; aut cum iis ullam consuetudinem habere ne audeant.* —

Prohibet id quibuscumque Clericis Concilium Tridentinum sess. XXV. c. 14 de Reformat., addendo etiam haec verba „alioquin poenis a Sacris Canonibus vel Statutis Ecclesiarum impositis puniantur.

Supersedemus congerendis ac adducendis singulis saectionibus Conciliorum ac Synodorum Provincialium, quae sive ante, sive post Concilium Tridentinum fuerunt celebratae, et quae, omnes unanimiter, vetant Clericis commune domicilium cum mulieribus habere; quibus etiam accedunt quamplurimae prohibitiones Sacrorum Canonum - et eis innixa in hac re disciplina Ecclesiastica. — Sequemur potius exemplum viri, agnitione totius orbis Catholici eruditissimi ac sapientissimi, quem nemo profecto nimiae severitatis accusare potest, quippe qui, et partes optimi ac vigilantissimi pastoris expleverit, et collabentem plurimis in locis Ecclesiasticam disciplinam instauraverit ac stabiliverit, et tot tantisque sapientissimis ac eruditissimis scriptis Ecclesiam illustraverit. — Est autem, omnibus numeris absolutus vir ille Benedictus Papa XIV, qui dum esset Archi-Episcopus Bononiensis, edidit Ordinationem Dioecesanam pro suo Clero Archidoecesis Bononiensis, in qua sapientissime complexus est omnes sanctiones Conciliorum ac Sacrorum Canonum, quibus et quid prohibeatur, et quid permittatur, in hac re, Clericis, luculenter ostendit; aperte profitens, in promulgatione suae Ordinationis non illud consilium a se susceptum fuisse, ut gravissimum jugum suo Clero superadderet; sed potius ut leviorem redderet eam disciplinam, quam inducere constituit et quae nullam sane novitatem continet, sed usu recepta semper fuit, et posteriori solummodo tempore negligi coepit. —

Ordinationem hanc invenietis in Istitutionibus Ecclesiasticis Prosperi Lambertini S. R. E. Cardinalis Archi-Episcopi Bononiensis, postea Benedicti Papa XIV. Institutione 82. quam Nos pro Nostra Dioecese Podlachiensi adoptamus, ac ab omni Clero Nostro Dioecesano observari mandamus ac praecipimus. — Est autem hujus Ordinationis, tenor, qui sequitur. —

„Commendandum procul dubio magis esset, si Parochi nullis mulieribus suum domicilium commune esse permitterent, licet cognationis vinculo conjungantur, tamen inharentes recentiori disciplinae, concedimus, ut in societatem contubernii recipiant eas Mulieres tantum, cum quibus cognatio intercedit in prime et secundo gradu, nempe cum Matre Avia, Amitta ac Matertera, cum Neptibus sive ex Fratre, sive ex Sarore; item cum mulieribus affinibus in primo gradu, nempe cum Noverca, cum Nuru et cum uxore Fratris sive ipse inter vivos agat, seu vita decesserit; tandem concedimus, ut idem contubernium habeant cum mulieribus cum quibus affinitatis secundus tantum gradus intervenit; si alter alteri reverentiam debeat; uti tradunt Scriptores; inter has mulieres Uxor defuncti avunculi adnumeratur. — Certissimum est, non licere Parochis vitam agere, nisi cum illis Mulieribus quas nuper indicavimus. — Cum tamen ea consuetudo invaluerit, ut famula pro obeundis ministeriis domi habeatur, ideo permittimus, ut non solum mulieres Consanguineas, sed illarum quoque famulas in domicilium suum Parochi accipiant. Quodsi famulus etiam Uxorem duxerit, et Parochi domi moretur, Uxor etiam in iisdem Parochi aedibus ex Nostra facultate detineatur. Sui autem Parochus, nec mulieres consanguineas, nec ullum famulum secum habeat, unam vel duas famulas in domum recipiat, modo tamem has conditiones observet. Primum, constet, opera famulae alicujus ipsum necessario indigere. Neque enim novum aut inusitatum videri debet, si opera sui Consanguinei vel Consanguineae domi utatur, vel etiam affinis, quae gradus attingat, quos superius memoravimus; opus est etiam ut Parochus virtutis fama ac praesertim honestatis erga famulus opinione palam commendetur: nec satis est ostendere vitae anteactae rationem, moresque ita immutatos, ust novamdisciplinam, novumque vivendi institutum susceperit. Siquidem non decet eam mulierem diutius in Parochi domicilio retineri,

---

26) Tomo V. Coll. Harduini col. 66.
27) Relato in cap. 15. de vita et honest. Cler.
28) Can. 24.
29) Ad tit. I. lib. III. Decretal. n. 12.
30) Parte II. tit. I. cap. 23. —
31) Sess. 24. c. 12. de Reform.
32) Actor. Eccl. Mediol. part I. pag. 19.
33) Tit. 21. de vita et morib. Cler. tom X. Coll. Hard. coll. 1359.
34) Eodem tit. ibid. coll. 1543.
35) C. 41. III.
36) Coll. Hard. coll. 44.

de qua suspicio aliqua in populum pervasit. Neque ipsi facile permitti potest, ut novam famulam conducat, nisi prius ad tuendam Parochi existimationem cautiones aliquae adhibeantur. —

„Honestae pariter esse debent et communi opinione probatae mulieres, quae Consanguineis Parochi inserviunt in ipsius domicilio; idem statuendum est de Uxore famulorum ac de Ancillis Parochi, quibus idem cum Parocho contubernium permittitur. Ipsarum quoque aetas cognita sit, ita ut Parochi, famulae, qui Consanguineis caret, quadraginta saltem annos jam attigerint; aliter tamen decernendum est, si cum Parocho etiam mulieres Consanguineae versentur, aut si famulae servis in matrimonium datae fuerint, aut tandem si aliqua ex Parochi Consanguineis curam domus gerat, si tamen iis gradibus cum Parocho juncta fuerit, quos superius enumeravimus. Magnum sane discrimen interest, cum plures simul mulieres, aut mulier una cum viro suo, aut Consanguinea cum Parocho, eadem domo continentur; diverso tamen modo se res habet, cum sola mulier, nulla sanguinis dropinquitate, sed famulae tantum conditione accita, cum Parocho versatur, qui fortasse per hyemem longiosimum noctis spatium, non precibus, aut libris impendit, sed cum ipsa famula, prope ignem, vanis colloqiis insumit.

„Itaque necesse est, ut eaedem mulieres testimonio sui Parochi, cui subjectae sunt, omnino commendentur: si autem ad eundem Parochum spectent, qui ipsas mulieres famulas accersit, testimonium vicinioris Parochi, aut Vicarii Toranei requiritur. Pro aetate illarum cognoscenda testimonium obsignatum Baptisimi proferatur.

„Qui disciplinam et instituta Ecclesiae penitus non ignorat, facile intelligit illud consilium a nobis haud susceptum esse, ut gravissimum jugum Clero nostro superaddamus, sed potius, ut leviorem reddamus eam disciplinam, quam inducere constituimus, quae nullam sane novitatem continent, sed usu recepta semper fuit et posteriori hoc tempore solum negligi coepit. Illud tamen expresse declaramus, si Parochi mulieres Consanguineae infamia aliqua notentur, non licere cum ipsis in eodem domicilio vitam degere, irritasque facultates omnes, quas antea ob evulgatam mulierum honestatem obtinuerint. —

„Idem sancimus de Ancillis etiam plusquam quadragenariis, si rumor aliquis excitetur, qui ipsarum vel Parochi nomen offendat. — Ingenue pariter fatemur, nullam a Nobis rationem, vel excusationem probandam contra ea, quae his litteris decernimus, cum de negatio res agatur maximi momenti ac ponderis. —

„Omni demum studio praecipimus ut Vicarii Foranei jusa haec nostra exequentes, bono praeluceant exemplo, invigilentque integrae nostrorum mandatorum executioni.“ —

Edictum hoc servari praecipit a Parochis suae Bononiensis Dioecesis Eminentissimus Prosper Lambertinus, quibus convivere permixit cum feminis, usque ad tertium consanguinitatis et primum ac interdum etiam secundum affinitatis gradum sibi conjunctis: exterarum vero nomina ad se deferri jussit, ut earum conditione inspecta, deliberaret, an sine illius edicti offensione, possent Parochorum aedes incolere. — Edictum hoc, tanta indulgentia lenitum est, ut a nemine, qui vel modicam notitiam veterioris, in hac re Ecclesiasticae disciplinae habet, asperum aut se verum videri possit. —

Edictum hoc, Nostrae Dioecesi Podlachiensi adoptantes, vim ei atque robur Ordinationis ac legis Dioecesanae tribuimus, omnesque Parochos in Domino rogamus ac obtestamur, ut si quis eorum habeat domi suae feminam, quae bona fama minime gaudet, de qua vel minima oritur suspicio; ejusmodi feminam, quantotius, a se amoveat; quatenus occasio malae suspicionis vel facti iniqui penitus auferatur, inde oriens scandalum fidelium declinetur, et probitate actuum, maledicorum obloquia offugiantur; atque observetur illud monitum Apostoli „nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum; sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut DEI ministros.“ [37]) —

Quapropter, rogamus Vos, Fratres Dilectissimi, recordemini praecepti Dominici de correctione fraterna. „Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

„Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum. Quodsi non audierit eos, dic Ecclesiae.“.[38]) —

Observetis ac impleatis hoc Domini Nostri mandatum; atque si talis e Parochis vel Vicariis eorum inveniatur, qui scandalosam vitam agit, moneatur primum fraterne, cum omni charitate et mansuetudine a viciniori Parocho, quem si non audierit, corripiatur a duobus vel tribus, quibus etiam si non obtemperaverit: dicant hi Decano loci a quo iterum talis moneatur; quod si vero post primam, secundam et tertiam commonitionem se emendare neglexerit: Decanus loci ejusmodi refractarium ac pertinacem fratrem deferat Nobis vel Nostro Consistorio Generali puniendum; super quo Decanorum conscientiam oneramus. „Certus sum autem fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni stientia, ita ut possitis alterutrum monere.“ [39])

En Ordinationes, quas jussis Concilii Tridentini obsequentes, quam primum in usum revocari, et ab omnibus vobis Fratres Dilectissimi, accurate custodiri volumus, ac in virtute Sanctae obedientiae praecipimus atqu. mandamus, ne supditorum Nostrorum neglectae emendationis Ipsi, condignas, Deo vindice, poenas persolvamus. —

Videte itaque Fratres Dilectissimi, pensate ac mente recolite, et laborem vestrum, et periculum Nostrum. Ea propter, hortamur Vos, verbis Apostoli Pauli, quibus Titum et Timotheum cohortatus est. — Quo enim ille magnus Apostolus, in hos suos amantissimos discipulos, ferebatur ardentissimo amore: eodem etiam et Nos fragrantes, Vos omnes, Fratres Dilectissimi, complectimur. Haec autem scripsit Divus Paulus ad Timotheum: „Exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. — Attende lectioni, exhortationi et doctrinae. Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi, per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. — Haec meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae, iusta in illis: hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt.“ [40]) —

Idipsum etiam commendat et Tito cui scribens ait:

„In omnibus, te ipsum, praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. Verbum sanum et irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vercatur, nihil habens malum dicere de nobis.“ [41]) —

„Induite Vos ergo sicut electi DEI, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Supportantes invicem, et donantes vobis metipsis; siquis adversus aliquem habet quaerelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos: super omnia autem haec charitatem habete; quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua vocati estis, in uno corpore, et grati estote.

„Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes, in cordibus vestris Deo.“ [42]) — Mores vestros ita componatis, ut „modestia vestra, nota sit omnibus hominibus. Et pax Dei, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras, in Christo Jesu. — De caetero fratres, quaecumque sunt veraquaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae; si qua virtus, si qua laus disciplinae; haec cogitate.“ [43])

Pax Vobis, Fratres Dilectissimi „pax omni operanti bonum.“ [44]) Sinite, Fratres Dilectissimi, ut Litteris Nostris finem imponentes, petamus a Vobis, ut in id unum omnes conatus, ac vires intendere velitis, ut ea omnia, quaecumque, sive hucusque statuta sunt, sive in posterum a Nobis in commune fidelium bonum sancita fuerint; strenue ac intrepide a Decanis et Parochis executioni mandentur. — Parum enim est leges tulisse, nisi quae statuta fuerint, effectum sortiantur. Mutae sunt omnes leges — se ipsas tueri, licet peroptimae sint, non possunt, nec pro se ipsis loquuntur; sed aliorum vigilantia, industriaque conservantur. Medicinae sunt leges quaecumque, nec confectae nec comparatae prodesse solent, nisi sumantur, et per venas diffundantur. —

Claudimus denique hanc Nostram Epistolam verbis Pauli Apostoli: „Obsecro Vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis. Cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. — Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis, in una spe, vocationis vestrae.“ [45]) — „Deus autem spei, repleat vos, omni gaudio, et pace in credendo, ut abundetis in spe, et virtute Spiritus Sancti.“ [46]) —

Dabamus Janoviae die festo Annuntiationis Beatae Virginis Mariae 25. Martii 1858. anno.

Benjamin, Episcopus.

Alphonsus Kimpalski, Secretarius.

---

[37]) II. Cor. VI. 3. 4.
[38]) Matt. XVIII. 15. 16. 17.

[39]) Rom XV. 14.
[40]) I. Timott. IV. 12. et sea.
[41]) Tit. II. 7. 8. —
[42]) Colos III. 12 — 17.
[43]) Philip. IV. 5. et 7. 9.
[44]) Rom. II. 10.
[45]) Ephes. IV. 2. 5.
[46]) Rom. XV. 13.

Właściciel i wydawca odpowiedzialny X. Prusinowski. — Czcionkami Augustyna Schmaedickiego.